

LEO LATINUS

PETRI IACTURARII MIRA HISTORIA

FABULA NOVELLA AB **ADELBERTO DE CHAMISSO** SCRIPTA
A **NICOLAO GROSS**
IN LATINUM CONVERSA.


THE STRANGE STORY OF PETER SCHLEMIHL

A NOVELLA WRITTEN BY **ADELBERT VON CHAMISSO**
TRANSLATED INTO LATIN
BY **NIKOLAUS GROSS**

PETER SCHLEMIHLS SELTSAME GESCHICHTE

EINE NOVELLE VON **ADELBERT VON CHAMISSO**
INS LATEINISCHE ÜBERTRAGEN VON **NIKOLAUS GROSS**

ADELBERTUS DE CHAMISSO¹ QUIS FUERIT



Adelbertus de Chamisso (1781-1838).

Adelbertus de Chamisso, qui natus est d.30. m.Ian. a.1781 in Francogallico castello prope *Châlons-en-Champagne* et mortuus die 21. m.Aug. a.1838 Berolino in urbe, originaliter appellabatur *Louis Charles Adélaïde de Chamissot*. Idem Germanus fuit poeta et perscrutator naturae. In nominibus botanicis Adelberti nomen gentilicium abbreviatur his litteris scribendis: „Cham.“

¹ Ad formam nominis Latinam noscendam v. hunc titulum: Cetaceorum maris Kamtschatici imagines, ab aleutis e ligno fictas, adumbravit recensuitque **Adelbertus de Chamisso**. Nova Acta Physico-Medica Academiae Naturae Curiosorum. a.1824. Si inest titulo nobilitatis, Chamisso est indeclinabilis. At si deest praepositio “de”, nomen declinatur secundum declinationem tertiam: cfr LINNAEA. Ein Journal für die Botanik in ihrem ganzen Umfange. Herausgegeben von D.F.L. von Schlechtendal, 8.Bd., Berlin 1833, p.517: „Species haec a **Chamissone** descriptis Brasiliensibus Bignoniae sc. samydoidi ...magisque leucopogoni...summa affinitate jungitur.“ – cfr nomina botanica quae habent genitivum nominis: Arnica **chamissonis**, Stachys **chamissonis**, Campanula **chamissonis** etc.

Vita.

Adelbertus natus est filius quartus *Comitis Ludovici Mariae de Chamisso* in sede gentis originali, i.e. in castello *Boncourt* in *Campaniâ* regione Francogalliae. Adelbertus ipse in itinerario suo scribit natalem diem sui non esse certum, sed diem baptismatis, i.e. d.31. m.lan. a.1781. Anno 1790 parentes Adelberti ad paupertatem redacti castellum suum reliquerunt, a.1792 Francogalliam. Chamissones ut fugerent exercitûs revolutionis Francogallicos, iter perrexerunt per Bataviam et Germaniam australem, usque dum a.1796 Berolino in urbe consederunt, ubi fratres natu maiores magistri domestici sunt facti. Berolini Adelbertus deinde factus est discipulus Gymnasii Francogallici (*Collège Français de Berlin*) a.1689 ab Huguenotis conditi.

A.1796 Berolini apud *Luisam Fridericam de Borussiâ* factus est paedagogianus.

Militia et poeseos prima rudimenta

Ab a.1798 usque ad a.1807um Chamisso in exercitu Borussico militiam fecit.

A.1801 factus est succenturio; ipsum se vocavit *Ludovicum de Chamisso*.



Chamisso pipam fumans.

Delineavit F. C. Weiß.

Ex a.1804 Chamisso unâ cum amicis *Societatis Stellae Polaris*², cuiusdam circuli poetarum romantici, edidit periodicum, cuius titulus erat *Fasti Musarum Berolinienses*³. Ex eo tempore ipse se vocavit *Adelbertum de Chamisso*. Praeter Chamissonem huius circuli participes erant *Julius Eduard Hitzig* et

² originaliter: *Nordsternbund*.

³ originaliter: *Berliner Musenalmanach*.

Friedrich de la Motte Fouqué et *Karl August Varnhagen de Ense* et eius soror *Rosa Maria* et *Friedrich Wilhelm Neumann*. Chamisso cum *Rosâ Mariâ Varnhagen de Ense* coniunctus est amicitia platonica; Adelbertus cum *Rosâ Mariâ* studebat rebus botanicis pernoscendis et carminibus amatoriiis palaeofrancogallicis in theodiscum convertendis.

A.1805 cum legione sua transductus est *Hamelam* in oppidum, ubi anno sequente vidit, quomodo hoc oppidum prodicione deditum a copiis Napoleonis humiliaretur. Deinde Chamisso captivus salva militari dignitate in Francogalliam iter fecit, usque dum tandem a.1807 missam fecit militiam (nonnullis in testimoniis idem refertur hoc fecisse iam a.1806).

A.1807 Adelbertus de Chamisso cooptatus est in sodalitatem francomurarium Catalaunensem⁴. Verisimile est eundem Berolini sodalitates francomurarium⁵ visitasse, sed non membrum earum factum esse.

Ab a.1810 usque ad annum 1813um Chamisso in Francogallia atque Helvetia versatus est, deinde iterum Berolini, ubi particeps fuit circuli amicorum litterarii ab *Ernesto Theodoro Amadeo Hoffmann* conditi, qui nomine *Fratrum Serapionis* appellatus est. In Helvetia Chamisso coepit se tradere scientiis naturalibus pernoscendis, primo praecipue disciplinae botanicae.

Chamisso rerum naturalium perscrutator

Spatio annorum, quod fuit ab a.1815 usque ad 1818um, Chamisso perscrutator naturae (qualis appellabatur vir doctus »titularis«) participavit mundi circumnavigationem, quae dicta est *Expeditio Ruricana*. Haec expeditio scientifica facta est *Ottone de Kotzebue* nauarcho ducente, filio poetae *Augusti de Kotzebue*, qui origine fuit germanico-baltica. Pro hoc incepto sumptuoso pecunia soluta erat a *Comite Nicolao Petrowitsch Rumjanzew* Russiae cancellario thesaurario. Investigatoribus mandatum erat, ut in Mari Pacifico explorarent Polynesiam et Havaiam et invenirent fabulosum transitum boreali-occidentalem⁶. Chamisso magnas partes litoris Alascae redegit ad rationem chartographicam, exploravit Floram Alascae (secundum Adelbertum appellata est *Insula Chamissoniana* inventa) et descripsit mores modosque vivendi Esquimensium⁷ Aleutarumque.

Ceterum *Parka* nomen amiculi cucullati subsumentoque instructi in sermonem theodiscum introductum primo apparet in Chamissonis libro, qui

⁴ Catalaunum = *Châlons-sur-Marne*.

⁵ *francomurarius, -ii m. = *Freimaurer*.

⁶ i.e. *Nordwest-Passage*.

⁷ *Esquimensis, -is m. *Eskimo*.

inscribitur *Reise um die Welt (Iter circa mundum factum)*. Hoc vestimentum inventum est a gente, quae appellatur *Tschuktschen*.

Chamisso acriter vituperat dominatum Russorum colonicum ibi visum. Is qui Chamissonis itinerarium perlegit, admiratur rationem incolas Havaiae atque Polynesiae describendi perhumanam et opinionis praeiudicatae expertem.

Postquam ab universitatis studiorum praepositis honestatus est tituli doctoris honoris causâ et factus est Custos alter herbarii regii (in locis, ubi hodie est viridarium Kleistianum), Chamisso a.1819 in matrimonium duxit *Antoniam Piaste* (1800-1837), alumnam amici sui *Hitzig*, quacum liberos genuit *Ernestum* (*1820), *Maximilianum* (*1822), *Adelhaidam* (*1827), *Iohannam* (*1829), *Adolfum* (*1830), *Hermannum* (*1832), *Adelbertum* (*1835). Eodem anno Chamisso cooptatus est in academiam doctorum Leopoldinam. A.1833 *Dietericus Schlechtendalius* (1767–1842) cum abiisset, Chamisso factus est custos primus; hoc officium, quo vitam sustentare potuit, brevi demum ante mortem deposuit. *Alexandro de Humboldt* commendante Chamisso d.7. m.Mai a.1835 in Academiam scientiarum Berolinensem cooptatus est.

Chamisso a.1831 primum tomum sui lyricum publicavit, quibus infuerunt carmina iam longê prius scripta. Raro tantum scripsit carmina nova. A.1833 carmen composuit, quod inscribitur *Der rechte Barbier (Tonsor aptus)*. A.1837 in lucem edidit studia sua itineraria, quae spectant ad linguam Havaianam. Carmine, quod folio volatico inscripsit et iterum edidit, c.t. *Die alte Waschfrau* (i.e. *Vetus lotrix*), Chamisso a.1838 collegit pecuniam ad *Matrem Schulz* adiuvandam, mulierem Berolinensem ad inopiam redactam, et accepit 150 thaleros imperiales.



Sepulchrum Adelberti de Chamisso

Chamisso cancro pulmonum affectus mortuus est d.21. m.Aug. a.1838 Berolino in urbe. Sepulchrum honestum urbis Berolinensis ei attributum situm est in coemeterio III communitatis *Berlin-Kreuzberg* in divisione 3/1, paucis metris a sepulchro Ernesti Theodori Amadei Hoffmann. In propinquo sita est *Platea Chamissonis*. D.31. m.Ian. a.2006 ad domum 235 iuxta Viam Fridericianam sitam, ubi usque ad a.1908 sita erat domus Chamissonis, revelata est tabula memorialis Chamissoni dedicata.

Honores Chamissoni attributi.



Pittacium epistulare a.1981 in Chamissonis diem natalem ducentesimum a Germaniae cursu publico foederali divulgatum



**Tabula memorialis ad domum 235 iuxta Viam
Friedericianam in tribu *Berlin-Kreuzberg* statuta.**

Insula quaedam in parte Freti Beringiani⁸ boreali sita tempore Expeditionis Ruricianae appellata est secundum nomen Chamissonis. In honorem eiusdem etiam nuncupata sunt genera botanica *Chamissoa* H.B.K., quae spectat ad familiam Amaranthacearum, *Chamissonia* Endl. (familia Oenotheracearum), *Chamissoniophila* Brand (familia Boragina-cearum, hodie synonymum *Antiphyti* DC. ex Meisn.). Praetera plura 150 species plantarum necnon nonnullae species animalium in honorem Adelberti de Chamisso sunt denominatae.

A.2010 in oppido *Kunersdorf* (quod situm est in terrâ foederali *Brandenburg*, circulo *Märkisch Oderland*) in Aulâ Musarum (*Musenhof*) condita est prima Societas Chamissoniana. In eâdem Aulâ Musarum fit etiam expositio, quae spectat ad Chamissonis vitam et opera. Chamisso *Petrum lacturarium* (*Peter Schlemihls wundersame Geschichte*) scripserat aestate anni 1813 in castello Kunersdorfiano. Nam amicus erat gentis possessorum, id est gentis *von Friedland* vel *von Itzenplitz*.

Quamvis sermo eius patrius esset francogallicus, Chamisso id assecutus est, ut sermone theodisco sibi primo alieno opera componeret immortalia. Illustrissima procul dubio sunt fabula, quae inscribitur „*Peter Schlemihls wundersame Geschichte*“ (a.1814) et carmen, c.t. „*Das Riesenspielzeug*“ (i.e. crepundia gigantum), quod spectat ad castrum *Niedeck* in Alsatiâ situm. Itaque unicum praemium, quod offertur immigratoribus theodiscê

⁸ theod. *Beringstraße*; angl. *Bering strait*.

scribentibus. In Germaniâ ex anno 1985 Praemio Adelberti de Chamisso honorantur auctrices auctoresque, qui sint sermonis patrii non-theodisci.

Opera

Adelberts Fabel, a.1806 (Fabula Adelberti)

Fortunati Glückseckel und Wunschhütlein, a.1806
(Fortunati sacculus felix et petasunculus mercurialis)

Peter Schlemihls wundersame Geschichte, Norimbergae a.1814
(Petri Iacturarii mira historia. Notis musicis instruxit: P. Ronnefeld, ballatiuncula a.1956)

Bemerkungen und Ansichten einer Entdeckungsreise, a.1821
(Adnotationes et considerationes itineris inventorii)

Salas y Gomez (carmen), a.1829

Frauen-Liebe und Leben, cyclus canticorum, Berolini a.1830
(notis musicis instruxerunt: Robertus Schumann, a.1840 et Carolus Loewe)

Gedichte, Lipsiae a.1831 (carmina)

ed. **Der deutsche Musenalmanach**, ex a.1832
(*Fasti Musarum Germanici*, una cum Gustavo Schwab)

Reise um die Welt in den Jahren a.1815-1818
(*Iter a.1815-18 circa mundum factum. diarium*), a.1836

Über die Hawai'sche Sprache, a.1837 (*De lingua Havaiana*)

Die Sonne bringt es an den Tag (*Sole hoc patefit. carmen epicolyricum*), a.1827

PETRI IACTURARII MIRA HISTORIA



Petri Iacturarii mira historia;
Hanc picturam rasilem confecit G. Cruikshank, a.1827.

SUMMARIUM

»Petri Iacturarii mira historia« est narratio fabellae similis, quam aestate anni 1813 scripsit Adelbertus de Chamisso (1781-1838), poeta et naturae perscrutator.

Haec est fabula cuiusdam viri, cui deest res, quam omnes ceteri quadamtenus naturaliter possideant. Chamisso condicionem sui ipsius explicat his ferê verbis: »Eventûs mundani anni 1813, quorum particeps fieri mihi non licuit - nam patria mihi sive non iam fuit sive nondum - , animus meus iterum iterumque quadamtenus discindebatur, tamen me non averterunt a viâ propositâ. Illâ aestate, ut animum mei relaxarem, liberorum cuiusdam amici oblectarem, scripsi fabellam Petri Iacturarii, quae in Germaniâ libenter legebatur et in Angliâ facta est popularis.«

Eventûs mundani, ad quos Chamisso allusit, fuerunt bella liberationis contra *Napoleonem* gerenda, quae illi, cum in Francogalliâ natus in Borussiâ viveret, participare non licuit.

Argumentum fabulae

Post iter navale laboriosum *Petrus Iacturarius* cognoscit *Thomam Ionium* mercatorem divitem, in cuius viridario incidit in mirum virum griseum. Is vir Petro persuadet, ut umbram suam vendat pro sacculo nummorum aureorum pleno, qui tamquam cornu copiae numquam fit vacuus.

At *Petrus* mox iam agnoscit se umbrâ venditâ e societate humanâ excludi. Homines quandocumque animadvertunt *Petrum* esse umbrae expertem, pavescentes illum evitant. Itaque *Petrus* per montes iter facit ad oppidum balneare, ubi *Bendelio* ministro fideli adiuvante id assequitur, ut defectus umbrae a ceteris hominibus primo non animadvertatur.

At tandem, cum in amorem inciderit *Minnae* pulchrae, secretum proditur. Vir, quem sperat fore socerum suum, Petro dicit non fore, ut *Minnam* in matrimonium duceret, nisi umbram recuperavisset. Tum vir griseus denuo apparet. *Petrus* vult umbram suam recuperare, sed nunc patefit ei vera natura illius viri grisei: Qui est diabolus, valdê urbanus quidem, sed non paratus ad umbram reddendam, nisi *Petrus* pro eo sibi tradiderit suam animam.

Petrus conatur illum fugere, sed ille eum semper semperque assequitur. Iterum diabolus conatur Petro persuadere eo, quod illi ante oculos ponit, quantam auctoritatem accipere possit. Is quidem recusans sacculum in voraginem deicit. Paucis nummis sibi relictis *Petrus* emit par caligarum detritarum, quas esse animadvertit caligas septemmiliarias⁹. Reliquam vitae partem *Petrus Iacturarius* solus degit naturae scrutator.

⁹ caligae *septemmiliariae = *Siebenmeilenstiefel*.

**SYMBOLAS WIKIPEDIANAS
DE ADELBERTI CHAMISSONIS VITA ET OPERIBUS
SCRIPTAS
IN LATINUM CONVERTIT**

NICOLAUS GROSS



LEO LATINUS

Adelbertus de Chamisso

Petri lacturarii

mira historia

(a.1813)

Capitulum primum.

Cum iter maritimum fecissemus felix, sed mihi perquam grave, tandem portum attigimus. Ubi primum navicula terram appuli, paucis sarcinulis, quas habui, apprehensis per multitudinem hominum me ursi et inii deversorium primo inventum, perquam humile, cui vidi praependere titulum. Rogavi, ut conclave mihi monstraretur. Minister deversorii me a vertice ad unguis aspectum duxit in conclave subtegulanum. Iussi aquam afferre recentem et accuratè explicare, ubi habitaret Dominus Thomas Ionius.

»Ante portam septentrionalem, prima villa, quae est a dextris, magna domus nova, marmore rubro atque candido, multis columnis«. Bene. - Tempus erat maturum; e sarcinulis exèmi res meas, elègi nigram synthesin vestium optimam, vestes diligenter mutavi, litteras commendatorias vestimento inserui, profectus sum ad virum, quem sperabam me adiuturum esse in consiliis meis exsequendis.

Brevi cum longam viam septentrionalem praetergressus portam advenissem, vidi villae columnas per arborum frondem viridem fulgentes. »Ecce hic est« cogitavi. Mucinnio pulverem de calceis detersi, focale in directum destrinxi, in nomine Dei traxi tintinnabulum. Ianua raptim aperta est. In faucibus portarius ex me quaesivit omnia quae potuit, denique tamen permisit, ut annuntiarer. Eo honore affectus sum, ut in

viridarium invocarer, ubi Dominus Ionius unâ cum nonnullis convivis versabatur.

Statim eum noscitavi corporis amplitudine, e qua apparuit, quanti aestimaret se ipsum. Qui me percomiter recepit, ut vir dives pauperrimum, immo mecum sermonem habuit quamvis ceteros convivas non oblîtus, epistulamque e manu meâ sumpsit. -

»Ah, ah, frater meus scripsit. Diu nil audivi de eo. Rectêne valet? Ibi - « ad ceteros dixit non exspectans, quid essem responsurus, »in illo colle iubebo aedificare aedificium novum« Sigillum rupit, non interrupit colloquium, quo acturi erant de divitiis. »Qui non possidet« ille inquit »saltim unum milionem, is est - sit venia verbo - furcifer«. - »O quam verum est !« exclamavi. Hoc illi certê placuit. Qui mihi arridens : »Manê hic, care amice, postea fortasse mihi vacabit de hac re dicere, quid sentiam«. Haec dicens epistulam digitis monstravit, quam statim iaccae infixit, et ad ceteros convivas revertit.

Ionius dominae iuveni bracchium porrexit, alii domini studuerunt aliis mulieribus pulchris comitandis, ut per paria collem adirent rosis florentibus circumsitum.

Ego illos furtim secutus sum nemini molestus, nam nemo me respexit. Congregati erant hilares, lasciviebant atque iocabantur, interdum de levibus loquebantur graviter, de gravibus saepius leviter, praesertim de amicis absentibus placidê facetias facientes. At ego ab illâ urbe alienior eram, quam ut multa intelligerem colloquiis memorata, necnon eram pluribus curis cogitationibusque traditus, quam ut scire cuperem, quae illi colloquerentur.

Modo attigeramus lucum rosarum. *Fannia* pulchra, quae videbatur esse domina huius diei, quadam cum pertinaciâ non potuit, quin ipsa frangeret rosae ramum florentem. Spinâ autem factum est, ut puella violaretur et in eius manum teneram sanguis flueret purpureus colore, qui similis fuit rosarum opacarum. Quaerebatur emplastrum Anglicum. Tum subito appropinquavit vir vetulus, tacitus, macer, longus, quem nondum animadverteram. Qui manum imposuit sacco multiciae vestis suae griseae more obsoleto confectae, inde protraxit parvum portafolium, aperuit, dorso devotê inclinato dominae dedit emplastrum exoptatum. Quo accepto dominula neque gratias egit neque virum respexit. Vulnere

colligato homines progressi sunt colle adverso, e quo a viridarii labyrintho viridi usque ad oceanum magnificê prospici posset.

Reverâ inde prospectus erat mirabilis. In horizonte inter aequor opacum et caelum caeruleum apparuit punctum lucidum. »Cědo telescopium!« Ionius clamavit, et, antequam minister tale afferre poterat, vir griseus dorsum modestê inclinans manu iaccae sacculo impositâ telescopium pulcherrimum protractum Domino Iono dederat. Qui instrumento statim ad oculum apposito congregatos certiores fecit punctum illud esse navigium, quod ancorâ heri solutâ ventis adversis in portu retineretur.

Telescopium ab uno alteri traditum possessori non est redditum; equidem stupefactus virum illum griseum aspiciens nescivi, quomodo tantum instrumentum prodiisset e sacculo perparvulo. At hac re nemo offendi visus est nec vir a ceteris magis respectus est quam ego.

Convivis poma offerebantur, fructûs rari ex terris exoticis importati, catinis pretiosissimis impositi. Dominus Ionius cum convivis facile habens colloquiola iterum me allocutus est. »Bene comedas, mi amice, talia in mari certê non habuisti«. Ego dorsum inclinavi, sed ille hoc non vidit, nam cum alio iam colloquebatur.

Homines libenter in caespite, in collis declivitate, adversus plagam extensam se collocavissent, nisi voluissent evitare humi umorem.. »Beati essemus«, aliquis e congregatis dixit, »si haberemus tapetia Turcica«. Quo voto vix dicto vir veste griseo indutus manu sacculo impositâ vultu modesto, immo demisso studuit protrahere Turcicum tapete pretiosum auro pertextum. Ministri idem acceperunt, quasi hoc esset nullo modo insolitum, locoque exoptato explicaverunt. Congregati sine morâ ibi consederunt; ego iterum territus aspexi virum, sacculum, tapete, quod plus viginti gradûs erat longum et decem gradûs latum et oculos fricavi nesciens, quid cogitarem, praesertim cum praeter me haec res nemini mira videretur.

Cupiebam aliquid scire de illo viro et aliquem interrogare, quis esset ille vir, sed nesciebam, ad quem me verterem; nam ministros ferê magis timebam quam dominos, quibus administrabant. Denique animo capto iuvenem allocutus sum, qui ceteris minoris auctoritatis esse videretur et plerumque solus stetisset. Quem submissê rogavi, ut mihi diceret, quis esset ille vir veste griseâ indutus.

»Ille, qui aspectu est fili duplicati? Qui filo similis est, quod sartori aufûgit?« - »Ita, ille, qui solus stat«. - »Quem ignoro« iuvenis mihi respondit et, ut visus est, ne diutius mecum colloqueretur, se avertit et cum alio coepit loqui de rebus minoris momenti.

Sol nunc fortius splendebat, ut dominae molestus esset calor nimius; Fannia pulchra ex viro griseo, quem, quantum scio, nemo antea allocutus erat, leviter quaesivit: num ille tentorium quoque secum haberet? Loco responsi vir dorsum tam altê inclinavit, quasi acciperet honorem haud meritum, et iam iam manum sacco indidit, ut evenirent tela, conti, funiculi, ferramenta, ut brevius dicam, omnia quae spectant ad oblectabile tentorium magnificum. Iuvenes domini virum adiuverunt tentorium extendentem, ut supra totum tapete penderet - nec ullus de hac quoque re miratus est.

Equidem iam prorsus timebam, immo formidabam, etiam maior formido in me invasit, cum vir griseus proximo voto audito e sacco protraheret tres equos, dico tibi, tres equos ad equitandum idoneos, tres nigros equos et magnos et pulchros sellâ et frenis instructos! - Finge tibi animo, per Dei voluntatem! tres equos sellâ instructos ex eodem sacco protraxit, e quo iam evenerant portafolium, telescopium, tapete viginti gradûs latum et decem latum, tentorium oblectabile eiusdem magnitudinis, necnon omnes contos ferramenta! - Nisi tibi affirmarem obsecrans me haec vidisse oculis meis propriis, certê non crederes.

Ceteri cum virum griseum parum respicerent - equidem oculos non potui ab eiusdem facie pallidâ avertere, quem magis magisque timebam usquedum non iam paterer prope eum versari.

Constitui, ut abirem a congregatis non valedicto. Quod putavi certê non fore difficile, cum essem inter illos nullius momenti. Volui statim in urbem redire et postridie temptare, num Dominum Ionum iterum visitans felicius essem collocuturus, et animo capto eundem rogaturus de miro illo viro griseo. - Utinam mihi contigisset, ut sic aufugerem!

Iam de colle descendens rosetum feliciter perrepseram et nunc eram in loco caespitis libero, cum timens, ne praeter vias per gramina ambulans in alium hominem inciderem, post me oculos conieci loca perscrutans. - Quanto terrore correptus sum, cum post me conspicerem virum veste

griseo indutum me adeuntem? Qui statim petaso deposito coram me tam altius dorsum inclinavit quam umquam antea. Manifestum erat eum mecum velle colloqui neque me hoc evitare non posse nisi essem inurbanus. Itaque ego quoque petasum meum deposui, coram illo dorsum inclinavi, sole fervente stabam immotus quasi radicibus defixus. Illum aspexi timidissimus, tamquam avis, quae torpet serpentem aspiciens. Ille quoque visus est incertus, quid faceret; oculis non sublatis compluries dorsum inclinavit, appropinquavit, me allocutus est voce submissâ incertâque, quadamtenus more mendicantis.

»Ignosce«, inquit, »Domine, importunitatem meam, qua, quamvis tibi ignotus ausus sim te adire! Velim te aliquid rogare. Benignê permittas, precor, ut...«

»At per Dei voluntatem, mi Domine« clamavi sollicitatus, »quid ego faciam viro, qui, qualis tu ... « Nos ambo stupentes, ut puto, simul erubuimus.

Paulisper cum tacuissemus, ille denuo coepit loqui: »Brevi spatio temporis, quo feliciter accidit, ut prope te versarer, vidi, mi Domine, aliquoties - permittas, ut hoc tibi dicam - reverâ ineffabili cum admiratione umbram pulchram, valdê pulchram, quam tu in sole, ipse non animadvertens, quadam cum negligentîâ ingenuâ de te deicis, umbram hanc magnificam, ad pedes tuos sitam. Ignosce mihi postulatum meum sanê audax. Potestne fieri, ut mihi, te amabo, concedas hanc umbram tui tradendam?«



**Ecce commercium diabolicum: Petrus vendit umbram.
Siderographia circa annum 1900 confecta.**

Ille conticuit, at ego magno animi motu perturbatus sum. Quid cogitarem de miro proposito, quo ille emere voluit umbram meam? »Certê mente captus est« cogitavi et voce mutatâ respondi:

»Eia, eia, bone amice, nonne satis tibi est umbra propria? Prorsus miram mercaturam proponis«. Ille statim: »In sacculo meo« inquit »sunt nonnulla, quae tibi haud minoris esse pretii videantur; pro hac umbrâ inestimabili mihi praemium summum non erit nimium«.

Tum iterum horrui, cum monerer sacculi, nec scivi, quare illum appellassem bonum amicum. Denuo coepi loqui et studui errorem compensare urbanitate infinitâ.

»Mi Domine, ignoscas servo tuo subditissimo. Sanê non ita bene intellego, quid sentias, quonam modo umbram meam...« Ille sermonem meum interrupit: »Nihil rogo nisi ut permittas, ut hîc in loco tollam hanc umbram nobilem ingeramque sacculo meo; quomodo hoc faciam, ne cures. Ut tibi Domino gratias referam, concedo tibi, ut eligas aliquod cimeliorum, quae mihi in sacculo sunt: vera radix lathyridis, radix mandragorae, peningi auriferi, thaleri raptorii, mappa armigeri, qui serviit Rolando, virunculus mandragoreus, pretio quantolibet; sed haec tibi certê non placent: melius accipies Fortunati petasunculum mercurialem, recenter et durabiliter restauratum; necnon bursam felicitatis, qualis fuit illi«. -

»Fortunati bursam felicitatis«, inquam sermonem viri interrumpens, et, quantopere timebam, tamen ab illo totus captus erat animus meus. Mihi vertigine correpto coruscare visi sunt ducati nummi duplices.

»Domine, placetne tibi hanc bursulam benignê aspectare atque temptare?« Vir manum sacculo imposuit, exemit bursam non ita magnam, firmê consutam, Corduano corio crasso, duobus probis funiculis coriaceis, mihi tradidit. Equidem manum bursae impegi, extraxi decem nummos aureos, iterum decem, etiam decem, etiam decem; celeriter illi manum porrexi et »Păx! Valeat haec mercatura, pro bursâ habeas umbram meam«. Ille manu compressâ affirmavit, sine morâ genua coram me flexit, deinde illum vidi admirabili cum sollertiâ umbram meam, a capite usque ad pedes, submissê de graminibus solventem, tollentem, convolventem, complicantem, denique sacculo imponentem. Surrexit, denuo corpus inclinavit ante me, in rosetum recessit. Puto me audivisse illum cum abiret submissê ridentem. At ego bursam funiculis comprehendi, circa me terra visa est sole splendere, nec ego animi fui compos.

(Altera pars sequetur)

FABULAM NOVELLAM

AB ADELBERTO DE CHAMISSO NARRATAM

C.T. »Peter Schlemihls seltsame Geschichte«

IN LATINUM CONVERTIT

NICOLAUS GROSS



LEO LATINUS

»SCHLEMIHL« QUALIS HOMO SIT

<http://de.wikipedia.org/wiki/Schlemihl> <http://de.wiktionary.org/wiki/Schlemihl>

significatio:

DUDEN – Das große Wörterbuch der deutschen Sprache in acht Bänden. 2.a editio, tom.6 [Poz-Sik], p.2941:

“Schlemihl, der; -s, -e [jidd. schlemiel = ungeschickte Person, unschuldiges Opfer von Streichen, H. u., viell. zu hebr. šēlem = (Dank)opfer]: 1. (bildungsspr.) *jmd., dem [durch eigene Dummheit] alles mißlingt, Pechvogel*. 2. ... (landsch. ugs.) *Schlitzohr*.”

Secundum magnum lexicon Dudenianum vox „Schlemihl“ est ambigua: Primum valet i.q. Latinê „iacturarius“, secundo (quibusdam tantum in regionibus Germaniae) valet i.q. Latinê „vulpio (APUL.apol.86); vir callidus, vafer, versutus.

etymologia:

Haec vox originem repetit e sermone Iiddico: שלימיל (YIVO: shlimil), i.q. homo scaevus, ineptus, vir innocens, qui fraudatur. Ceterum de origine huius verbi alii aliter sentiunt.

Secundum Kluge et Duden Fremdwörterbuch שלימיל (YIVO: shlimil) est vox iiddica, quae respondet nomini biblico (Numeri 1,6) ducis simeonitici Shelumiel (hebraicê: שְׁלֹמִיאֵל (CHA: ṣ̌elumi'ēl)), qui in traditione talmudicâ aequatur illi Simri, qui Deo vetante coit cum madianite Kosbi, ideoque a Pinchas zelotâ gladio percutitur. Incertum autem est, quare hoc nomen in sermone theodisco vim specialem acceperit. Verisimile est hanc vim cohaerere cum historiâ Iudaei cuiusdam nominis »Schlemihl« saeculo tertio decimo viventis, cuius uxor postquam ipse per undecim menses afuit, infantem peperit, et cui persuasum est se esse patrem eiusdem infantis. Nomen postea innotuit narratione Adelberti de Chamisso fabulosa. Item fieri potuit, ut nomen hebraicum intellexeretur quasi esset ילמו (CHA: ṣ̌-lo-mo), ineptus, inhabilis‘

Secundum Duden Universalwörterbuch vox iiddica derivanda est a substantivo hebraeico דָּשָׁן (CHA: ṣ̌ælæm), quod significat sacrificium, victima.

iactūrārius, -ī m.

Karl Ernst Georges: Ausführliches lateinisch-deutsches Handwörterbuch, Darmstadt (Wissenschaftliche Buchgesellschaft) 1998 (Reprint der Ausgabe Hannover: Hahnsche Buchhandlung, 1913/1918), tom.II, col.9: iactūrārius, īī, m. = qui frequenter patitur iacturam, Gloss. IV, 28, 25 u. ö. Vgl. Loewe Gloss. Nom. p. 166.

cfr <http://www.gottwein.de/LaWk/La01.php?qu=loos&ab=Hui>

Pechvogel

iactūrārius, iactūrārīī m

theod. **Pechvogel**, **Unglücksrabe**; *angl.* jinx, misadventurer, schlimazel (*yiddish slang*), eight ball (*Am., slang, esp. a soldier*); *fr.* malchanceux, guignard; *hisp.* desgraciado, gafe; *ital.* malcapitato, sfortunato, sfigato; *neogr.* γκαντέμης

theod. **Glückspilz**; *angl.* lucky beggar, lucky fellow, lucky devil (*coll.*), happy bunny [*coll.*], lucky duck [*esp. Am.*], lucky sod [*esp. Br.*] [*sl.*]; *fr.* veinard; *hisp.* tipo, afortunado; fortunello, fortunato; *neogr.* τυχερός

filius albae gallinae (IUVENALIS, Saturae 13,141)

IUV.sat. 13,140sqq.

ten, o delicias, extra communia censes 140

ponendum, quia tu **gallinae filius albae**,

nos uiles pulli nati infelicibus ouis?

TESTIMONIA QUAE SPECTANT

AD VIM VERBI »Schlemihl«

COLLEGIT ET IN LATINUM CONVERTIT

NICOLAUS GROSS



LEO LATINUS

PETRUS IACTURARIUS (II)

Scripsit Adelbertus de Chamisso, Latinê reddidit Nicolaus Groß

Capitulum alterum

Cum tandem resipuissem, properê hoc oppidum relîqui, ubi mihi nihil iam agendum fore sperabam. Primo sacculos meos auro complevi, deinde bursam de collo suspensam ad pectus occultavi. Viridarium pervasi non respectus, viam ruralem attigi versus urbem profecturus. Cum prodirem versus portam, audivi aliquem post me clamantem »Domine iuvenis! Heus Domine iuvenis! Audi, quaeso!« Me converti, mulier quaedam vetula post me clamavit: »Vide, ut caveas, umbram perdidisti«. »Gratias tibi ago, matercula!« Eidem obieci nummum aureum pro consilio benevolê dato arboresque subii.



Petrus nummos aureos intêricit pueris insectantibus. A.1839 delineavit Adolfus de Menzel.

Ad portam eandem rem audivi e vigile: »Heus Dominus ubi reliquit suam umbram?« et paulo post e nonnullis mulieribus: »Iesus Maria! Hic homo

miserrimus vacat umbrâ!« Cum inciperem stomachari de hac re, diligenter cavi, ne lumen solis inirem. At hoc non ubique fieri potuit, exempli gratiâ non potui hoc facere in Viâ Latâ, quae prima mihi transeunda erat idque ipso eo momento temporis, quo pueri e scholâ venerunt. Parvus quidam catulaster gibbosus - adhuc recordor istum - statim intellexit mihi deesse umbram. Qui magno clamore sublato me prodidit omnibus iuvenibus suburbanis criticis in viâ versantibus, qui in me, postquam recensuerunt, statim caenum iaculari coeperunt clamantes: »Homines probi umbras secum auferunt, si solis lumen ineunt!«. Ut me defenderem, plenis manibus aurum iisdem interieci et raedam meritoriam insilui, quam homines misericordes mihi curaverunt adducendam.

Ubi primum solus fui in raedâ provehente, coepi amarissimê lacrimare. Iam suspicatus sum: quanto aurum in terris merito virtutisque praeferri, tanto umbram maioris aestimari quam ipsum aurum; et ut prius a me divitiis permissam esse conscientiam animi, sic nunc umbram venditam esse pro sôlo auro; de me in terris quid fieri posse, quid fore, ut fieret!

Adhuc valdê perturbatus eram, cum raeda constituta est ante deversorium antea a me inhabitatum; territus sum animo fingens mihi fore intrandum illud miserum conclave subtegulanum. Iussi res meas de cubiculo deportari, contemptim accepi tenues sarcinulas meas, proieci nonnullos nummos aureos et imperavi, ut veherer ante deversorium lautissimum. Cum haec domus sita esset versus septentrionem, non timendus mihi erat sol. Raedarium auro dato amisi, curavi ut mihi traderentur conclavia optima anteriora, ubi primum potui, in eadem me abdidi, ianuam clausi.

Quid putas me tunc fecisse? - O care Chamisso, hoc confitens coram te ipso erubesco. Bursam infortunatam extraxi, quam ad pectus gestabam, quadamque cum iracundiâ, quae tamquam incendium flagrans in me augebatur se ipso, extraxi aurum, et aurum, etiam etiamque aurum, quo sternebam pavementum, quod transibam, ut strideret, et proiciebam, miserum animum meum sono pascens, metallum in metallum proiciens, etiam et etiam, usque dum delaberer ad cubile pretiosum tacitusque idem perscrutarer, idem pervolutarem. Sic dies transactus est, vesper, ianuam

non aperui, ipsâ nocte iacui in auro prostratus, deinde fatigatus somno superatus sum.

Tum somniavi de te, mihi visus sum stare post ianuam vitream conclavis tui parvi et inde te spectare ad mensam tuam operatoriam inter skeleton et fascem plantarum siccatarum sedentem, ante te libri Halleri, Humboldtii, Linnei aperti iacebant, in stibadio tuo positi erant tomus Goetheanus et »anulus magicus«, diu aspectavi te omnemque rem in conclavi tuo positam, deinde iterum te, tu autem non motus es, spiritum non duxisti, mortuus eras.

Experrectus sum. Tempus visum est adhuc valdê maturum. Horologium meum consteterat. Tamquam contusus eram, sitiebam, esuriebam. Iam taedio atque indignatione affectus a me reppuli istud aurum, quo brevi ante erat saturatus animus meus desipiens; nunc stomachosus ne id quidem scivi, quid de eodem mihi faciendum esset. Non oportuit aurum remanere sic positum - conatus sum aurum bursae reponere - sed hoc fieri non potuit. Nulla fenestra cubiculi mei supra mare aperiri poterat. Necesse erat cum labore et sudore aurum afferre ad magnum armarium, quod stabat in parvo cubiculo iuxta sito, idemque ibi collocare. Paucas tantum volas auri reliqui extra armarium posita. Labore finito lassatus arcisellio incubui exspectans homines in deversorio habitantes surrecturos esse. Ubi primum fieri potuit, curavi, ut aliquid afferretur comedibile et caupo ad me veniret. Quocum collocutus sum de mansione meâ in futurum instruendâ. Îdem commendavit quendam virum nomine Bendelii mihi in negotiis privatis affuturum, cuius facies fidelis atque prudens statim mihi placuit. Qui inde comitatus est me per vitam meam miseram meque adiuvit, ut paterer sortem meam tristem. Per totum diem versatus sum in conclavibus meis, cum ministris dominorum expertibus, calceorum confectoribus, vestificibus, mercatoribus, conclavia instruxi et êmi multas res pretiosas, ut liberarer ab aliquantulo auri permulti accumulati; tamen acervus auri mihi videbatur non diminui.

Per totum tempus de statu meo summê sollicitabar. Non ausus sum e conclavi meo exire gradu vel minimo et vespere curabam quadraginta candelas accendendas, antequam exhibam e tenebris. Territus recordabar, quid mihi factum esset, cum inciderem in illos pueros scholares. Constitui, quamvis hoc inceptum esset audax, ut iterum experirer homines quid

sentirent de me. - Noctes illo tempore lunâ erant lucidae. Sero vespere lato amiculo indutus, petaso ad oculos demisso, submissê, tamquam vir sceleratus tremens, e domo repsi. Demum in plateâ longê remotâ egressus sum ex umbrâ domorum, qua usque hunc locum obtectus eram, in lumen lunae lucidum, exspectans fortunam ex ore praetereuntium praedicendam.

Parce mihi, amice, ne dolorosê repetam omnia ista, quae mihi erant patienda. Mulieres summam saepe testabantur misericordiam, qua affectae erant mei causâ; sed earum verbis haud minus laesus sum quam risu puerorum et arrogantia virorum, praesertim crassorum, qui ipsi umbrâ erant latissimâ. Bella puella amabilis, quae, ut visa est, parentes comitabatur, qui consideratê ad pedes suos tantum prospiciebant, forte oculum ad me vertit lucentem; eadem cum animadverteret me esse umbrâ orbatum, evidenter territa est, faciem pulchram ricâ velavit, caput demisit, tacitê praeteriit.

Non diutius passus sum miseriam meam. Fluente salsa ex oculis meis prorupta sunt, animi discruciatu titubans recessi in tenebras. Cum remanendum mihi esset in domorum umbrâ, ut gradûs meos firmarem, lentê tantum et sero habitaculum meum sum assecutus.

Noctem degi somni expers. Postridie mâne primo curavi, ut ubique quaereretur vir veste griseâ indutus. Fortasse mihi contingere posse, ut illum reperirem, et quam felix forem! si eum haud minus misereretur stultae mercaturae quam me. Iussi Bendelium ad me venire, qui mihi videretur aptus et habilis, - ei accuratê descripsi illum virum, qui nisi reperiretur, vitam meam dixi nihil fore nisi torturam. Dixi Bendelio, quando et ubi vidissem illum virum; necnon descripsi omnes homines, qui adfuissent, et addidi hoc indicium: ut ex hominibus quaereret, ubi essent telescopium Dollondianum et tapete Turcicum auro pertextum et tentorium magnificum oblectabile necnon nigros equos, quorum historia quacumque ratione cohaereret cum illius viri aenigmatici, qui omnibus visus esset innotabilis, sed quo apparente mea tranquillitas atque felicitas essent sublatae.

Deinde tantum auri, quantum ferre potui, additis nonnullis lapidibus gemmisque etiam pretiosioribus, ex armario exemi. »Bendeli« inquam »auro multae viae exaequantur multaeque res fiunt faciles factu, quae

visae sunt impossibiles; ne parcas huic auro (sicuti ego ipse non parco), sed affer nuntios domino tuo, quos solos se accepturum esse sperat».

Bendelius abiit. Sero rediit tristis. Neminem ex familiaribus, neminem ex convivis Domini Ionii recordatum esse vel minime illum virum veste griseâ indutum. Novum telescopium adfuisse, sed neminem scivisse, unde allatum esset; etiam tapete illud et tentorium in eodem colle evolutum et extensum remansisse, servos domini sui divitias praedicavisse, nec ullum scivisse, unde hae res novae et pretiosae illi allatae essent. Dominum Ionium ipsum gaudere de his rebus nec curare, quod nesciret, unde accepisset; equos a dominis iuvenibus, a quibus equitati essent, tenêri in stabulis, eos laudare Domini Ionii liberalitatem, qua equos sibi illo die donavisset. Haec apparuerunt ex prolixâ narratione Bendelii, quem, qua erat praesenti industriâ atque sagacitate, quamvis res ei parum feliciter successisset, merito laudavi. Ei contristatus indicavi, ut me solum relinqueret.

Ille autem denuo: »Rettuli« inquit »de re quae tibi erat gravissima. Una tantum res restat referenda, quam mihi hodie bene mâne mandavit aliqui vir, in quem ante ianuam incidi ad negotium profectus, quod mihi tam infeliciter successit. Qui vir mihi fecit haec ferê verba: 'Dicas, quaeso, Domino Petro Iacturario, me ab illo hîc loco non iam visum iri, quia trans mare navigaturus vento secundo ad portum vocor. At aliquando eum ipsum visitabo et deinde ei proponam aliud commercium, fortasse gratius. Rogo ut ei quam optimê valere iubeas omni qua par est reverentiâ eique dicas, quantas gratias ei agam.' Interrogavi, quis esset, ille autem dixit se tibi nôtum esse«.

»Quo aspectu ille vir fuit?« interrogavi suspiciosissimus. Bendelius autem illum virum veste griseâ indutum descripsit, iisdem ductibus, iisdem verbis, quibus antea narraverat se homines rogasse de viro.

»Eheu te miserum« clamavi manûs torquens, »qui fuit ille vir ipsissimus!« *et confestim ceciderunt ab oculis eius tamquam squamae*¹ - »Ita, ille, verum ille fuit!« - Bendelius territus exclamavit. »Me caecum, me

¹ orig. ...und ihm fiel es wie Schuppen von den Augen. cfr ACTUS APOSTOLORUM 9,17-19: et abiit Ananias et introivit in domum et inponens ei manus dixit: »Saule frater, Dominus misit me Iesus, qui apparuit tibi in via qua veniebas, ut videas et implearis Spiritu Sancto«. **Et confestim ceciderunt ab oculis eius tamquam squamae** et visum recepit et surgens baptizatus est. Et cum accepisset cibum, confortatus est.

stupidum, qui illum non cognoverim, non cognoverim et prodiderim dominum meum!»

Is fervidê flens se ipsum amarissimê accusabat tam vehementer desperatus, ut eius me misereret. Itaque consolatus sum Bendelium eo quod iterum iterumque dicebam eum non esse in culpâ, neque me ullo modo dubitare de eius fidelitate, et paulo post eum misi ad portum, ut, si hoc fieri posset, ut sequeretur vestigia miri illius viri grisei. At eodem mâne multae naves antea ventis adversis retentae evectae erant, omnes alias in regiones mundi, omnes aliis litoribus destinatae, et vir griseus nullo vestigio relicto tamquam umbra evaserat.

(Pars tertia sequetur)

**FABULAM NOVELLAM
AB ADELBERTO DE CHAMISSO NARRATAM
c.t. »Peter Schlemihls seltsame Geschichte«
IN LATINUM CONVERTIT
NICOLAUS GROSS**



LEO LATINUS

PETRI IACTURARII MIRA HISTORIA (III)¹

Scriptis Adelbertus de Chamisso, Latine reddidit Nicolaus Groß



Ecce Petrus lacturarius umbrae expers desperatus in raedâ sedens.
Hanc xylographiam confecit *Adolfus de Menzel* a.1839.

Capitulum tertium

Captivo catenis ferreis alligato quid prodessent alae? Quibus îdem tamen, et terribilius, desperaret. Tamquam Fofnerus draco in sede suâ omnis solacii humani expers prope aurum iacebam tabescens, quod nequaquam cupiebam, sed exsecrabar, quia eius causâ videbam me esse ab omni vitâ interclusum. Necnon intra me solum secretum meum funestum servans timebam ministrum mei vel ultimum, cui simul invidebam; nam îdem umbrâ

¹ cfr Pars prima: EPISTULA LEONINA 79, p.12-20; pars altera: EL 80, p.12-16. Titulus originalis: »Peter Schlemihl's wundersame Geschichte mitgetheilt von Adelbert von Chamisso«

instructus erat; eidem licebat in sole aspici. Die noctuque solus et desolatus considebam in conclavibus meis miserîaque meâ dolebam.

Erat aliquis qui coram me mecum doleret: Bendelius meus fidelis non desiit torqueri tacitê se ipsum accusans, quod fidem domini sui clementis fefellisset illum non agnoscens, quem ut conveniret missus esset et quocum fatum meum triste artê coniunctum esse non potuit, quin cogitaret. At ego nullam culpam transtuli in Bendelium cognoscens rem factam esse naturâ viri illius ignoti fabulosâ.

Tamen nihil non conans facere, ut me servarem, aliquando Bendelium cum ei dedissem anulum adamantinum pretiosissimum, misi ad urbis pictorem illustrissimum invitandum, ut ad me veniret. Qui vênit, ministris e conclavi emissis et ianuâ clausâ ad eum virum consedi, et, cum artem eius laudavissem, animo gravato vëni ad rem tractandam, primo eum severê rogavi, ut promitteret, ne aliis panderet meum mysterium.

»Domine Professor« inquam, »potestne fieri ut homini, cui infelicissimê accidit, ut umbram amitteret, pingas umbram adulterinam?«

»Dicis te amisisse umbram propriam?«

»Hanc ipsam dico quidem«.

»At« ille perrexit interrogare, »quanam stultitiâ fieri potuit, ut amitteres umbram tuam?«

»Quomodo hoc factum sit« respondi »licet nunc omnino non rêferat. Tamen haec sufficiant« et - illum fallens re impudenter confictâ - »In Russiâ, ubi hieme proximâ praeteritâ iter feci, aliquando frigoribus insolitis, umbra mea humo firmius defixa est, quam ut absolverem«.

»Umbra adulterina, quam tibi pingere possem«, professor respondit, »nulla esset nisi talis, qualem motu vel minimo amitteres; cum maximê tam infirmiter affixus sis ad umbram tuam propriam, quam narrasti; qui expers est umbrae, is ne ineat in lumen solis. Hoc est sanissimum et certissimum«. Surrexit et abiit torvis oculis me aspiciens, quos non passi sunt oculi mei. In sessibulum relapsus faciem manibus imposui.

Talis inventus sum a Bendelio intrante. Qui cum videret, quantum dolerem, voluit recedere tacitê ac reverenter. At ego suspexi. Non potui quin loquerer cum aliquo de miserîa meâ: »Bendeli« ei acclamavi, »tu solus vides passiones meas easque plus dignaris, quam ut explores, qui quietus et pius mihi condoleas, vëni ad me, Bendeli, sis animae meae proximus.

Thesaurus auri mei non reclusi a te, non recludam a te thesauros meae aegritudinis. - Bendeli, noli me deserere. Vides me divitem esse, liberalem, clementem, putas oportere, ut homines me magnificent, sed vides me aufugere homines meque recludere ab hominibus. Bendeli, homines iudicaverunt; qui me expulerunt, necnon tu fortasse te avertes a me, si acceperis mysterium meum terribile; Bendeli, dives sum, liberalis, clemens, - at - o Deus! - careo umbrâ!»

»Cares umbrâ?» bonus ille puer territus exclamavit lacrimis proruptis. »Utinam ne natus essem, pro eo ut serviam Domino umbrae experti!» Ille conticuit, ego faciem tenebam manibus inclusam.

»Bendeli« post pausam dixi, nunc scis omnia; nunc licet abeas - hominibusque pandas mysterium meum«. - Ille diu visus est cum animâ graviter luctari, denique ad pedes meos procumbens manum meam comprehendit, quam lacrimis suis umidavit. »Hoc non faciam« exclamavit, »quidcumque ceteri homines cogitant, ego umbrae causâ dominum meum clementem neque relinquo neque relinquam. Probê faciam, non callidê, manebo apud te, mutuam tibi dabo umbram meam, te adiuvabo, ubi potero, et ubi non potero, tecum lacrimabo«. Eum amplexus sum stupefactus, quod animo erat tam ingenuo. Persuasum mihi erat eum non auri causâ apud me manere.

Ex eo tempore fortuna mea meusque modus vivendi aliquatenus mutati sunt. Dicitur non potest, quam prudenter Bendelius sciverit occultare vitium corporis mei. Qui ubique erat ante me et apud me, omnia praevidens, praeparans, ubicumque periculum imminebat, celeriter me umbrâ suâ obtegens, nam erat me longior et robustior. Ita factum est, ut denuo auderem hominibus interesse et inciperem personam gerere in mundo. Sanê miros mores ut induerem necesse erat. Sed tales decent divites, et dum veritas latebat, omni honore et respectu perfructus sum, qui auro meo tribuebantur. Nunc animo tranquilliore exspectavi ignotum virum illum mysterialem, qui se ad me venturum esse anno et die transactis promiserat.

Bene sensi non esse consentaneum, ut diutius versarer in eodem loco, ubi iam visus eram umbrâ privatus, et ubi facile fieri poterat, ut proderer; haud scio an nihil mente revolverim nisi ea quae mihi accidissent apud

Dominum Ionum versanti; illius memoriae pertaesus hōc loco breviter tantum volui remanere ad rem experiendam, ut alicubi facilius et audacius possem in publicum prodire - tamen incidi in quendam hominem, quo aliquamdiu retinerer vanitate affectus: istaec enim est hominis inclinatio, qua ancora certissimê defigatur.

Ipsa Fannia pulchra, in quam loco tertio iterum incidi, ad me, quem non recordata est, aliquatenus attendit, nam nunc scivi loqui facetê atque callidê. - Cum loquebar, homines auscultabant, nec ipse scivi, quomodo hanc artem didicissem, qua colloquia tam facile haberem ac dirigerem. Ne multa, tam vehementer incidi in amorem, ut inciperem ineptire; praeceps et amens illam sescentis cum laboribus secutus sum per umbras et tenebras, ubicumque poteram. Nihil cupiebam nisi ut illa me cuperet neque promptissimo quidem animo id poteram efficere, ut fervor amoris fieret caritas cordis.

At quid vulgarem istam rem totam repetam ab ovo usque ad mâla enarrans? - Talem fabulam tu ipse mihi sat saepe narrasti de aliis viris sanê probis. At ista fabula vetus, bene nota, in qua ego vir nimis simplex personam gessi repetendo detritam, contra opinionem mei et mulieris et ceterorum omnium, mihi conversa est in calamitatem.

Aliquo vespere pulchro, cum, ut solebam, homines quosdam invitavissem, ut se in horto quodam apud me congregarentur, aliquanto a ceteris remotus unâ cum Fanniâ in horto huc illuc ambulabam et studebam dicere puellae blandimenta quam lepidissima. Fannia verecundê oculos in terram demittens manui meae prementi submissê respondebat, cum subito luna exiit e nubibus, ut illa nullam umbram videret ante se decidentem nisi propriam. Illa cohorrui et primo me aspexit stupefacta, deinde iterum terram, oculis cupiens umbram meam; et ea quae in animo patiebatur, vultu tam mirê expressit, ut cupivissem cachinnum tollere, nisi ipse frigore pervasus essem gelidissimo.

Fannia e brachio meo cecidit et animo relictâ est; ego fulguris instar me proripui per convivas territos, ianuam adeptus me inieci in primam raedam quam foris invêni et revectus sum in urbem, ubi infeliciter reliqueram Bendelium cautissimum. Qui me aspectu territus uno tantum verbo facto

omnia intellexit. Statim allati sunt equi cursuales. Neminem mecum duxi nisi Rascalem, virum vaferrimum, unum ex meis, qui agilitate suâ sciverat probare se mihi esse necessarium, et qui nescivit, quid hõc vespere accidisset. Eâdem nocte nondum per 20 chiliometra vectus sum. Bendelius remansit, ut res meas ordinaret, aurum distribueret mihiq̃ue postea afferret maximê necessaria. Postridie cum me assecutus esset eum amplexus non iuravi me tales stultitias nullas iterum facturum esse, sed nihil iuravi nisi me fore cautiorem. Nullâ pausâ interpositâ iter perreximus, trans limitem et montes, et in altero latere montium demum alto propugnaculo ab illâ humo infortunatâ separatus cum essem, mihi visus sum tam securus, ut in oppido balneari prope sito, ab hominibus rarius frequentato sisterem a laboribus superatis requieturus.

(Pars quarta sequetur)

**FABULAM NOVELLAM
AB ADELBERTO DE CHAMISSO NARRATAM
c.t. »Peter Schlemihls seltsame Geschichte«
IN LATINUM CONVERTIT
NICOLAUS GROSS**



LEO LATINUS

PETRI IACTURARII MIRA HISTORIA (IV)¹

Scripsit Adelbertus de Chamisso, Latinê reddidit Nicolaus Groß



Adelbert de Chamisso (1781-1838). Delineavit E.T.A Hoffmann (1776-1822).

IV.

Narrando non potero, quin celeriter praeteream tempus, quod describens - oh quam libenter! - morarer, si eiusdem spiritum vivum possem in animum revocare. At color, quo illud tempus vivificabatur et quo unico vivificari potest, in me desplenduit, et quandocumque in pectore meo studeo reperire ea, quibus îdem color illo tempore tam vehementer splendescibat, dolores et felicitatem, pium furorem, - tum frustra quadamtenus impello saxum, quo nullus fons praebetur vivus, et deus a me cessit. Quam mutatum me nunc aspicit illud tempus praeteritum! - Factum est, ut in illo oppido balneari gererem tragicam personam heroicam, sed male praeparatus artisque histrioniae tiro cum essem, mediâ in fabulâ

¹ cfr Pars prima: EPISTULA LEONINA 79, p.12-20; pars altera: EL 80, p.12-16; pars tertia: EL 82, p.9-12. Titulus originalis: »Peter Schlemihl's wundersame Geschichte mitgetheilt von Adelbert von Chamisso«

agendâ in amorem incidi puellae, quae erat oculis caeruleis. Parentes fabulâ decepti omnibus modis curant, ut commercium quam celerrimê confirmetur et ludus vulgaris desinit in irrisionem. Istud autem iam est totum, totum! - Istud mihi videtur tam insipidum et illepidum, necnon terribile, quod idem mihi tale videri potest, quod illo tempore mihi fuit tam amplum, tamque copiosum, ut summâ laetitiâ perfruerer. O Mina, ut illo tempore flevi, quod te perdideram, sic nunc fleo, quod te perdidisti in ipso animo meo. Num tam vehementer consenui? - O tristem rationem! Redde mihi punctum tantummodo illius temporis, momentum illius furoris dulcis, - immo vero! solus fluito in mari alto vastoque fluctûs tui amari et iam pridem ex ultimo poculo exsiluit spiritus vini Campanici!

Nobis horae ferê itinere ab oppido remotis in planitie apricâ versantibus mora allata est a multitudine hominum sollemniter ornatâ. Currus noster constitit. Auditi sunt modi musici, sonitûs campanarum, cannonum crepitûs, per aëra sonuit »Vivat!« magnis vocibus editum - ante currûs foriculam apparuit chorus virginum albis vestibus indutus, eximiâ pulchritudine praeditus, in quo una tamquam sole lucente ceterae stellarum noctis similes sunt obscuratae. Haec puella e medio sororum processit; eadem tenera atque procera coram me in genua procubuit pudore erubescens, mihique obtulit coronam lauro, ramis oleagineis, rosisque consertam, nonnulla verba de maiestate et reverentiâ et amore faciens, quae non intellexi, sed quorum argenteo sono magico inebriatae sunt et aures et animus mei, - haec puella caelestis mihi visa est iam aliquando me praeteriisse. Tum chorus coepit cantare de bono rège laudabili deque felicitate populi eidem subditi.

En hanc scaenam, care amice, medio in sole actam! - Illa adhuc duobus gradibus a me remota genibus nixa, ego umbrae expers hiatum transilire non valui, coram illâ angelâ non potui in genua procumbere. O, quantum illo momento temporis dedissem pro umbrâ! Non potui, quin pudorem et angorem et desperationem mei abderem in currum extremum. Tandem Bendelius paratus erat ad me adiuvandum, ex altero latere currûs exsiluit, ego illi revocato e meâ cistulâ, quae mihi erat ad manum, pretiosam coronam gemmatam exemptam dedi, quâ illa Fannia pulchra fuerat exornanda. Bendelius prodiit et in nomine domini sui dixit, illi neque licere neque illum velle accipere talia honestamenta; se putare haec

errore aliquo facta esse; tamen illum incolis urbis bonis gratias agere pro bonâ voluntate. Bendelius coronam oblatam sustulit inque eiusdem locum supposuit anulum adamantinum; deinde îdem virgini pulchrae reverenter manum porrexit, ut surgeret, nutu iussit sacerdotes, magistratûs, omnes cives deputatos abire. Nemo admissus est. Bendelius fecit, ut turba divideretur et equis spatium daretur, raptim in currum inscendit, et equis admissis vehi perreximus, portam subeuntes fronde floribusque constructam, versus oppidulum. - Cannonum sonitûs iterum iterumque audiebantur. - Currus ante domum meam constitit; celeriter desilui ad ianuam, multitudinem hominum dividens, qui cupiditate me videndi affecti accurrerant. Plebecula sub fenestrâ meâ magnâ voce clamabat »Vivat!« et ego faciebam, ut inde plueret ducatos duplices. Vesperi urbs voluntariê est illuminata.

Adhuc autem nescivi, haec omnia quid valerent et ipse pro quo haberer. Itaque Rascalem misi speculatum. Eidem autem narratum est, homines iam certo scire bonum regem Borussiae nomine alicuius comitis nobilis iter facere per terram; adiutorem meum militare cognitum esse, eundem se ipsum meque patefecisse; homines quantâ laetitiâ affecti essent, cum certo cognovissent illum in oppido nunc versantem quadamtenus a se ipsis possideri. Intellexisse quidem illos homines se, cum nunc manifestum esset me diligentissimê studere, ut manerem incognitus, ineptê egisse eo quod tam importunê mysterium revelarent. At eos sentire me suscensuisse tam clementer, tam propitiê, - ut dubium non esset, quin sibi benevolentibus ignoscerem.

Rascal autem mastigia meus hac re valdê exhilaratus verbis poenalibus bonos homines talia credentes quam studiosissimê confirmabat. Îdem mihi de hac re rettulit perquam iocosê, et cum vidisset me eâdem exhilaratum, narravit mihi, quam malignê egisset. - Num necesse est hoc confiteri? Scilicet ego eius verbis auditis mihi superbê persuaserim me haberi pro duce venerabili.

In vesperum crastinum iussi festum praeparare sub arboribus, quae inumbrabant loca ante domum meam sita, omnesque cives urbis invitare. Vi marsuppii mei mysteriali et studiis Bendelii Rascalisque sollertium id contigit, ut ipsum tempus superaretur. Verê mirandum est, quam pulchrê

atque copiosê intra spatium paucarum horarum omnia ordinata sint. Splendor et abundantia, quae ibi effectae sunt necnon illuminatio consentanea tam sapienter distributa erat, ut mihi viderer perquam securus. Nihil prorsus restitit monendum, ministri mei erant laudandi.

Advesperavit. Convivae apparuerunt et apud me sunt introducti. Nomen maiestatis non iam est tactum; sed vocatus sum magnâ cum reverentiâ et pietate: Dominus Comes. Quid facerem? Titulum Comitis concessi, ut inde ex illâ horâ manerem Comes Petrus. Mediâ in turbâ sollemni anima mea nil cupiebat nisi illam unicam. Sero illa apparuit, illa, quae erat corona coronamque gerebat. Eadem puella modestê parentes sequens videbatur nescire se esse omnium pulcherrimam. Apud me introducti sunt Dominus saltuarius magister eiusque uxor et filia. Scivi parentibus multa dicere iucunda atque humana; at coram filiâ constitui tamquam puer castigatus, neque unum quidem verbum êdere potui. Tandem illam balbutiens rogavi, ut hanc sollemnitatem eo dignaretur, quod munere, cuius signo ornaretur, fungeretur. Illa pudibunda obtutu miserabili me rogavit, ut sibi parcerem; at ego illâ pudibundior primus subditus puellae indulgentiam meam dedi magnâ cum reverentiâ, et eo nutu comitis omnibus convivis est mandatum, quod agendo imitari omnes laetê studuerunt. Laetâ in sollemnitate praevaluerunt maiestas et innocentia et venustas cum pulchritudine consociatae. Minae parentes felices putaverunt sui tantum honoris causâ filiam suam laude elatam esse; equidem ipse ebrietate affectus eram ineffabili. Iussi omnes gemmas mihi relictas, quas, ut auro molesto defungerer, omnes margaritas, omnes adamantes imponere patinis obtectis et ad mensam, sub nomine reginae, eius collustricibus omnibusque dominabus in gyrum offerre; aurum interim sine pausâ trans cancellos circumdatos in plebeculam iubilantem.

Bendelius autem postridie mâne animo fidenti mihi patefecit suspicionem, in quam Rascal iam pridem sibi venisset, nunc factam esse rem certam. Illum enim heri intervertisse integros saccos auro completos. Ego »congaudeamus«, inquam, »misero illi homuncioni de praedulâ captâ; libenter dono omnibus, quidni illi quoque? Îdem heri mihi, omnes homines novi, quos tu mihi dederas, probê ministravere, me adiuverunt, ut laetê fieret laeta sollemnitas«.

Non perreximus de hac re colloqui. Rascal primus ministrorum mansit, sed Bendelius erat amicus meus et familiaris. Qui cum assuefactus esset divitias meas considerare inexhaustibiles, non speculabatur earum fontes; immo îdem voluntatem meam respiciens me adiuvabat occasiones excogitantem, quibus divitias patefacere et aurum effunderem. De viro illo ignoto, pallido illo tenebrione, nihil scivit nisi hoc: me ab execratione, qua affectus essem, redimi non posse nisi ab illo, necnon timere illum, in quo unica spes mei esset posita. Ceterum cum mihi persuasum esset me ab illo inveniri posse ubique, sed illum a me nullibi, me diem promissum exspectantem destitisse ab investigatione frustra instituendâ.

Magnificentîâ sollemnitatis moribusque meis primo factum est, ut incolae oppidi creduli opinionem praeiudicatam retinerent. Sed mox ex actis diurnis apparuit totum iter rêgis Borussiae fabulosum nihil fuisse nisi rumorem indicii expertem. Tamen rex esse credebar et oportebat, ut rex manerem, necnon unus e divitissimis et regalissimis, quicumque essent. At non bene sciebatur, qualisnam rex essem. Hominibus numquam fuit causae, cur lamentaretur de penuriâ monarchorum, idque paucissimê aetate nostrâ; boni illi homines, qui nullum umquam conspexissent regem ipsis oculis suis, modo hunc, modo illum aequâ fortunâ divinabant esse regem - Comes Petrus autem semper mansit is qui fuerat.

Aliquando inter balnearum hospites apparuit quidam mercator, qui decoxerat, ut se ditificaret, qui fuit communi existimatione et umbram latam, quamvis aliquatenus pallidam, a se iaciebat. Îdem opes, quas collegerat, ostentandi causâ voluit exponere, necnon in mentem ei incidit, ut mecum vellet competere. Equidem marsuppio usus misericulum illum mox eo compuleram, ut exististimationis servandae causâ iterum decoqueret et trans montes migraret. Ita factum est, ut illo defungerer. - Illâ in regione multos homines reddidi inutiles et desidiosos!

Quamvis regali magnificentîâ et effusione omnia mihi subicerem, in domo meâ vivebam valdê simpliciter atque modestê. Consueveram ûti tantâ cautione, ut Bendelio excepto nemini quacumque causâ allatâ permitterem intrare conclavia, quae inhabitabam. Dum sol splendebat, cum Bendelio manebam iisdem inclusus, et dicebatur comes nobilis laborare in zothecâ suâ. Laborans adiuvabar a nuntiis frequentibus, quos vel minutissimae rei

causâ mittebar et recipiebar. - Visitatores non recipiebam nisi vesperi sub arboribus meis, aut in oeco Bendelio iubente aptê et amplê illuminato. Cum domo exhibam Bendelio semper more Argei me custodiente, in nullum locum ibam nisi in hortum saltuarii, et illius puellae unicae causâ; nam nullâ re animus meus vehementius commovebatur quam amore illius.

O mi bone Chamisso, spero te nondum oblîtum esse, quid sit amor! Hîc multa tibi relinquo supplenda. Mina verum fuit puella amabilis, bona, pia. Huius puellae animum et sensum ad me detinueram, puella, quâ erat verecundiâ, nesciebat, quare tantulum valeret, ut a me aspiceretur; necnon amorem amore compensabat pleno cum vigore iuvenili animi sui innocentis. Quae amabat more mulieris se totam sacrificantis; se ipsam oblîta, dedita, neminem amans nisi eum, qui erat vita sua, minimê curans, num ipsa periret, id est, haec puella reverâ amabat.

At ego - o horas quam terribiles - terribiles! et dignas tamen, quas desiderem ut recipiam - saepe degebam lacrimans ad pectus Bendelii acclinatus, cum prima ebrietate animi finitâ, quâ fueram animi non compos, resipiscens me acriter aspiciebam, qui umbrae expers fallaci amore mei ipsius hanc angelam corrumpens, eius animam puram mendaciis surripiebam! Primum decernebam, ut me ipsum proderem; deinde spondebam iuribus iurandis carissimis factum iri, ut me ab illâ abriperem et aufugerem; tum iterum lacrimis proruptis cum Bendelio statuebam, ut vesperi illam visitarem in horto saltuarii.

Aliis temporibus spes fallaces concipiebam de viri grisei visitatione futurâ, et iterum lacrimabam, cum frustra conatus essem res speratas credere. Diem autem computaveram, quo illum virum timendum a me revisum iri exspectabam; nam ille dixerat se reventurum esse eodem die anni proximi futuri, et ego dictum eius credidi.

Parentes erant homines boni, honorabiles, vetusti, qui unicam filiam suam valdê amabant, totâ re, quam inter nos habuimus, illi stupefacti sunt, cum iam exstaret, et nesciverunt, quid de eâ cogitarent. Prius ne somniaverant quidem Comitum Petrum de filiâ suâ cogitare, at nunc îdem illam amabat et ab illâ amabatur. - Mater haud scio an ambitiosior erat, quam ut non cogitaret talem rem fieri posse et studebat eam efficere; pater autem, quâ erat mentis sanitate, tales spes immoderatas non permisit. Ambobus

cum persuasum esset amorem meum esse purum, nihil restitit, ut pro filiâ suâ orarent.

Epistula quaedam manibus meis incidit, quae a Minâ illo tempore scripta mihi relicta erat. - Ita est, video Minae ductûs litterarum! Quam epistulam tibi describam.

»Sum puella infirma, inepta, nescio an animo fingam amatum meum, cum eum medullitus, medullitus amem, miseram puellam nolle dolore afficere. - Eheu, tu tam bonus es, tam ineffabiliter bonus; sed noli me falso intellegere. Ne quid mihi sacrifices, noli mihi aliquid sacrificare; o Deus! Me odissem, si istud faceres. Immo - tu me fecisti infinitê beatam, tu me docuisti te amare. Discede! - Scio quidem fatum meum, scio Comitem Petrum non spectare ad me, sed spectare ad mundum. Gloriabor audiens: is fuit et is fuit iterum et illud perfecit; ibi eum adoraverunt, et ibi eum venerati sunt tamquam deum. Vide, cum haec cogito, tibi irascor, quod propter puellam simplicem oblivisceris alta tua fata. - Discede, ne hac cogitatione fiam infelix, quae, eheu! per te sim tam felix, tam beata. - Nonne etiam ramum olivae gemmamque rosae vitae tuae intexui, tamquam coronae illi, quam tibi offerre licuit mihi? Teneo te animo meo inclusum, mi amate, noli timere, ne a me discedas - moriar, eheu! tam beata, tam ineffabiliter beata moriar per te«.

Facile fingas cor meum his verbis paene dissectum esse. Minae explicui me non esse talem, qualis esse viderer; me nihil esse nisi virum divitem, sed infinitê miserum. Me religione contactum esse, quae oporteret esse unicum secretum mei illi ignotum, quia adhuc sperarem illam religionem posse expiari. Istôc timore me vexari dies meos degentem quasi veneno affectum: me timere, ne Minam mecum in abyssum abriperem, eam, quae esset unica lux, unica felicitas, unica anima vitae meae. Tum illa iterum flens lamentata est me esse miserum. Ah quam plena illa erat amoris, quam bona! Ut unam tantum lacrimam mihi redimeret, illa, quantâ cum beatitudine, sacrificasset se ipsam!

At amata mea nequaquam rectê intellexit verba mea, sed animo finxit me esse aliquem principem nobilem gravi aliquâ devotione contactum, aliquod altum caput honestum, necnon puella vi suâ imaginandi naviter depingebat amati sui magnificas imagines heroicas.

Aliquando ei dixi: »Mina, ultimo die mensis proximi futuri fortuna mea mutabitur et decertabitur - nisi hoc factum erit, mori debebo, quia nolo te facere infelicem.« - Illa lacrimans caput suum in pectus meum abdidit. »Si fortuna tua mutabitur, sine me scire te esse felicem, ego non habeo, quod a te postulem. - Si es miser, me coniunge cum miseriâ tuâ, ut te adiuvem, qui feras miseriam.«

»Puella, puella, revoca verbum, verbum praeproperê dictum, verbum ineptum, quod e labiis tuis effûgit - num novisti hanc miseriam, novistine istanc execrationem? Scisne, quis sit amatus tuus - - quid is -? - Nonne me vides convulsivê cohorrescere, et te celare secretum?« Illa gemens ad genua mea procubuit, et preces suas repetivit iurans ius iurandum.

Ego autem magistro saltuario intranti declaravi me velle die proximi mensis futuri eum rogare, ut mihi permetteret filiam suam in matrimonium ducere - hunc diem dixi, quia putavi usque ad eum multa factum iri, quae valerent ad fortunam meam. Nihil fore immutabile nisi amorem meum filiae suae.

Bonus ille vir talia verba a Comite Petro facta cum audiret, vehementer stupefactus est. Primo bracchia sua collo meo iniecit, deinde eum puduit, quod sui oblîtus erat. Nunc ei in mentem incidit dubitare et deliberare et investigare; locutus est de dote, de securitate, de carae filiae rebus futuris. Gratias ei egi, quod me harum rerum monuit. Ei dixi me exoptare, ut in hac regione, ubi viderer amari, habitarem et vitam degerem a curis liberam. Rogavi eum, ut bona pulcherrima, quae in terrâ venaliter praestarent, sub nomine filiae emeret et ad me remitteret pretium solvendum. Hôc modo eum patrem optimê affuturum esse genero amanti. - Cuius oblati causâ illi multum laborandum fuit, nam ubique ab aliquo alieno praeveniebatur; tantummodo pretio milionis ferê nummorum êmit.

Sic illum virum occupavi quadamtenus callido consilio innocenti semovendum, qualibus consiliis illius causâ iam usus eram, nam non possum, quin confitear illum mihi fuisse aliquatenus molestum. E contrario bona mater fuit paululum surdastra, nec tam ambitiosa, ut crederet Dominum Comitem sibi esse colloquiolis delectandum.

Tum accessit mater, homines felices me urgebant, ut vesperum secum degerem diutius; at ne per minutam quidem partem horae mihi licuit

morari: nam ad horizontem iam vidi lunam orientem lucescere. - Tempus meum erat transactum.

Postrie vesperi denuo ii ad hortum saltuarii. Amiculo per umerum dilato, petaso ad oculos deposito ad Minam accessi; cum eadem oculis sublatis me aspiceret, fortuito mota est; tum subito intimo in animo meo clarê recordatus sum illam noctem horribilem, qua in lumine lunae apparui umbrae expers. Reverâ Mina fuit illa puella. Num nunc quoque me recognoverat? Illa fuit tranquilla et cogitabunda - at meus animus ingenti molestiâ erat oneratus - e sede meâ surrexi. Illa tranquillê lacrimans se iniecit pectori meo. Tum abii.

Inde illam saepius inveniebam lacrimantem, ut anima mea in dies magis obscuraretur, - tantummodo parentes beatitudine abundantia diffluebant; at mihi trepido atque torpido dies fatalis imminebat tamquam nubes fragores caeli praenuntians. Vesper proximus ante istum diem adfuit - vix respiravi. Diligenter nonnullas cistas auro compleveram, vigilavi usque ad horam duodecimam. - Quae indicata est campanae sonitu.

Nunc ibi sedebam oculo in indice horologii defixo, secundas, minutasque numerans tamquam ictûs pugionis. Omni strepitu exorto excitabar, dies oriebatur. Horae plumbeae una alteram demovebant, factus est meridies, vesper, nox; indicibus horologii progredientibus spes marcescebat; hora undecima campanae sonitu est indicata, nihil apparuit, ultimis minutis horae ultimae transactis nihil apparuit, duodecimae horae primum campanae sonum audivi, ultimum, et desperatus somniis deditus infinitis in lectum meum delapsus sum. Cras me - in sempiternum umbrae expertem - rogaturum esse, ut amatam in matrimonium ducerem; somno anxio versus mâne oculi mei sunt compressi.

(Pars quinta sequetur)

**FABULAM NOVELLAM
AB ADELBERTO DE CHAMISSO NARRATAM
c.t. »Peter Schlemihls seltsame Geschichte«
IN LATINUM CONVERTIT
NICOLAUS GROSS**



LEO LATINUS